



Adspiret **DIVINA TRIAS,**
& vota secundet !

Notum jus, inquit ille Phoenix Legum Ulpianus *in l. f. ff. de Leg.* consistit aut in acquirendo, aut in conservando aut in minuendo. Aut enim hoc agitur, quemadmodum quid cujusque fiat, aut quemadmodum quis rem vel jus suum conservet, aut quomodo alienet aut amittat. Quod ipsum Juris Romani conditores probe observasse, ex communi eorum, qua usi sunt, methodo luculenter apparet. Primo enim solliciti fuere de explicandis modis, quibus jure aliquo, sive circa personam id versetur, sive circa rem jure potiamur. Hinc multa inseruere de acquirendo rerum dominio. *l. & ff. de Acq. rer. dom. & tit. seqq. de acquirenda possessione, tt. tt. ff. & C. d. Acq. poss. de acquirenda hereditate, §. f. l. d. Her. qual. & diff. t. t. ff. d. Acq. vel omitt. her. t. t. C. d. Jur. delib.* Quia vero *Non minor est virtus, quam querere, parta tueri,* idcirco modos suppeditarunt varios, quibus id, quod legitime acquisivimus, legitime quoque tueri possimus. Inde exceptiones natae, inde interdicta retinendae possessionis, itemque actiones, quae & suo modo huc referri possunt. Cum denique humani juris conditio in infinitum semper decurrat, & nihil in ea sit, quod perpetuo stare possit; *Const. Tanta. §. 18. de Confirmat. Digest. l. 26. ff. d. S. P. V.* omnisque noster status sub perpetuo motu consistat; *N. 7. c. 2. in princ.* ideo
A tan-